



~~V. 1729~~

1) Bismarcks

Uebung 2/129/bis 13/
Film (14)



4
EPITHALAMION.

IN NVPTIIS IL=

LVSTRIS: PRINCIPIS AC DO-
MINI, D. CAROLI, DVCIS MONSTER-
BERGENSIS ET OLSSENSIS, COMITIS
GLACENSIS, ET DOMINI STE-
RENBURGÆ: SPONSI,

Kf 129
ET, ILLVSTRIS, GE=

NEROSÆ ATQVE INCLYTÆ DO-
MINÆ CATHARINÆ A BERCKA,
de Lipa & Duba in Sterenberg;
SPONSÆ,

scriptum

A V T O R E

PAVLO SIBERO F.

ab Ericis P. L.

Psal. CXXVIII,

Benedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas
bona Hierusalem, omnibus diebus
vitæ tuæ,

Anno, M. D. LXX,

IN NVPTIIS IL
LVS TRIS PRINCIPIS AC DO
MINI D. CAROLI DVCI MONSTER
BERGENSIS ET OESSENSIS COMITIS
GLACENSIS ET DOMINI STE
PHANI BERGENSIS

ET HILVSTRIS GE
NEROS FATORVE INCLVTA DO
MINA CATHARINE A BERCKA
de Lipsa & Doba in Samburg
SPONSOR

scriptum

A V T O R E
PAVLO SIBERO F.
ab Eius P. L.

Pal. CXXVIII

Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut videas
bona Hierusalem, omnibus diebus
vires tue.

Anno, M. D. LXX.



EPITHALAMION.
IN NVPTIIS ILLVSTRIS: PRIN-
CIPIS AC DOMINI, D. CAROLI, DVCIS
Monsterbergensis & Ollensis, Comit' Glacensis,
& Domini Sterenbergæ: Sponsi.

ET, ILLVSTRIS, GENEROSAE
ATQVE INCLYTÆ DOMINÆ, D. CA-
tharinæ d Bercka, de Lippa & Duba, in Sterenberg: Sponse.

scriptum: Autore

PAVLO SIBERO F.
ab Ericis P. L.

Fama per aërios montes, iuga celsa Gabretæ,
Tesqua per & colles volat, & dat buccina signum:
Miror, quid strepitus sibi vult: quid cursus equorum?
Quid cantus, citharæq; canor: quid prouida Iuno
Portendit sublata noui super ardua cœli
Culmina: & candentes frenat gypsata columbas
Ipsa Venus: video lapsus, quò tendere pergant
Obseruo passum, quantum prodire laborent.

Dic dea Acidaliæ teneros quæ pascis amores,
Quæ vegetas motu vaga pectora, quæq; reuincis
Arcano nexu, quas gressum carpis in oras:
Quò puer ille tuus, curis qui gaudia miscet:
Purpureusq; pudor, lususq; iociq; frequentes,
Et dilectus Amor, Cypriæq; exercitus omnis:
Idalium secum portant, mensesq; rosarum.

A ij

Huc

Huc ades alma parens, nostris ne defice ceptis,
Siqua mora est, dubios è pectore pelle timores,
Verus vbi sit amor nobis vestigia monstra,
Te duce Sidereas cursu superabimus arces.
Sic ego : continuò fax fullit amica per auras :
Vt cum stella cadit, liquidumq; per æthera lapsa
Longum signat iter : tum sacri diua recessus
Adstitit vna mihi (ni fallor) candida Clio,
Edocuitq; tori tædas & sacra iugalis.

Parua iacet regio, septem supposita trioni,
Diues agri, diues pecoris, campoq; patenti
Hercinias intra sylvas fert fertilis vuam,
Et Cereris prægnans, dat latis otia fundis.
Solis ad occasum Boiemi rura coërcent,
Lunæ sylua patens venientem mane salutat :
At latus vnde niues densant, Silesia cingit
Et Cerconessi montes, quibus arduus exit
Albis aquis, maris Arctoi qui littora radit.
Exercet messes gens Marcomanna sub Austro.
Illa ducum genitrix tellus, quibus igneus ardor,
Arce Sterenbergæ prælustris, & inde priores
Hoc nomen posuere sibi, quod ad ardua versi
Facta, sub astra caput clara virtute tulerunt.
Illic virgo sedet CATHARINA insignia rami
Aurea fert gremio, veterum gestamen honorum.
Iungere quam iuueni properant, tibi notus in oris

Carolus

CAROLVS his Princeps Olfensis, et impiger Heros
Silesosq; Duces inter, præclaraq; regum
Progenies & huic ferta parant, huic sacra frequentant,
Et festas myrtos, & thurea dona per aras.
Illi nupta venit forma præstante virago,
Casta decus niueum, crinemq; euincta hyacintho.
Spargite ab arce Duci flores, deducite Sponsam,
Vos nymphæ Dryades, tuq; arcu insignis Oreas,
Ferte nouo Sponso noua munera, ferte puellæ.
Sic ait, in nubem paribus se sustulit alis.

Ast ego, quo versus quo te modulamine, Princeps,
Affabor & qua voce canam, tædasq; iugales,
Et vestrum genus, & notæ præconia laudis?
Scilicet in magnis aliquid simulare voluptas.
Vera loquar, sed enim disponunt omnia fata:
Fato iunguntur, fato soluuntur amantes.
Hoc ergo meditatus, & optima quæq; recursans
Mente agito mecum: qua conditione creatum
Sit genus id primùm, qua sorte recesserit olim
Defraudata deùm soboles primæuus Adamus.
Ipsa mihi Pietas subscribere sola videtur,
Ingenuum Pietas animosa professa fauorem.
Hæc complexa sinu Charites, produxit Amorem
Alatum puerum, gemmisq; auroq; coruscum,
Et geminis telis, qui flammis pectora tentat
Improbis, in Veneremq; ciet quodcumq; mouetur.

A iij

Illu

Illam Ducum stirpem miserata propagine serâ,
Ante Dei solium stetit, atq; his vocibus vsa est.

Magna Patris soboles Sapia, quæ regis orbem,
Fataq; dispensas, nimbo aurea vecta per altum
His aduerte animum precibus, non impia posco;
Si te cura hominum tenet, vt prius omnia certis
Legibus ire suis iussisti, nunc quoq; mentem
Nequicquam muta stabilem, sit firma voluntas.
Scis pius vt iuuenis, Boiemæ gloria gentis,
Slesiæ ab auis, & claro sanguine regum
Carolus imperium teneat cum fratre parentis,
Cui iam prima genas tenera lanugine vestit
Pubescens ætas, sunt pulcro in corpore vires.
Quam dare vis illi nuptum? propriamq; dicare,
Dic dea? quippe toris addictus viuat vt vni,
Et cum dilecta vernantes transigat annos
Cara prole parens, quæ te post tempore longo
Grata colat, nomenq; tuum deponat in astris.
Tu facile ex humili potes ardua fingere, summos
Detrudis, tollisq; imos; tu in scepra reponis
Vili sorte satos, & maiestate coronas,
Abiectosq; facis mensis accumbere diuim.
Quam sunt, dulcis amor, res, concessiq; Hymenæi
Grata Deo? placuit duo pectora conscia vitæ
Iungere, sic rerum voluisti diua creatrix.
Vtilis ista vagos motus medicina coercet.

Indignus

Indignus vita, per quem non viuit & alter.
Crescat Nida domus, seque efferat alta sub Arcto,
Et consanguineo cum Cæsare regnet in orbe.
Qualiter eximius se Podiebradius olim
Extulit, ac latè quos Odera vidit & Albis
Egregios sceptris, cinctos & iaspide glauca.
Sic visum est superis, nunc dic quas annuis arces?
Quasue meo iuueni dotes? Hæc dixerat ore
Insignis Pietas, flauos cui fibula crines
In nodum collecta tenet, crux aurea supra
Conspicuis gemmis caput, & demissa sub imos
Alba pedes niueos candenti lindone vestis.
Stant circum Charites, & Amor lætabilis, & quæ
Corda duo iungit Concordia foedere firmo.
Omnibus ex humeris decus, & Spes candida vultu,
Gratiaque æterno delibans oscula fonte.

Tum dea iusticiæ præses Sapientia: nescis,
Nata, quid in fatis, inquit: tibi prouida pandam,
(I defer mea dicta) pari iungentur amore
CAROLVS & CATHARINA: eius tu nuncius esto
Illa volat dicto citius, tum Gratia cœlo
Risit, & aligeri cætus, facilesque cateruæ:
Intonuit læuùm pater, & vaga nubila cedunt.

Iam media inter iter Gabretæ culmina carpit
Tota corusca iugis, vbi se via lactea prodit.
Vt limen tetigit, ramum felicitis oliuæ

Prætendit

Præ tendit Pietas, & celsa palatia scandit
Arcis Sidereæ, qua se comitata puellis
Primores inter proceres Catharina ferebat,
Iusq; dabat populis, precioq; æquabat honorem.
Qualis Crocœdis generosa Lybussa sub Albi
Imponit leges genti, frenatq; superbos
Boiemos, patres arcana fraude fefellit
Iuncta Premissao, Circes imitata liquorem:
Talis, sed melior, vultum demissa sedebat
Æquales iuxta virgo Catharina, iuuentæ
Lumen, & ipsa Venus diuinum afflârat amorem.

Cùm sic affata est tacitam dea: summus Olympi
Me tibi demittit rector, mandata per auras
Ferre dedit, quæ sit diuûm secreta voluntas,
Accipe, cui thalamos socies inuentus, amori
Te summite pio: tibi nobilis Heroine
Princeps debetur iuuenis, cui mentis honestum
Est decus, atq; oculi collucent sideris instar.
Huic te dede: simul tenerum adspiratit amorem.
Vritur illa expers flammæ, totumq; penetrat
Corpus & ossa calor, tectum confessa pudorem
Pallet, vt humidulo Veneris rosa tineta cruore.
Quale decus viuus color addit imaginis vmbrae,
Aut vbi vestitur flauo carbunculus auro.

Est locus ad Viadrum gelidis stagnatibus vndis,
Vber triticea gleba, quò decoquit amnem

Incola,

Incola, cum lupuli despumans gramine fruges
Vrbs iacet Olsa solo, sub vertice Parrhalis vrsae
Patria terra Ducum, latè quos armiger effert
Ille Iouis praepes, qui pennis aethera verrit.
Hic tuus ignis erit, laudati nominis haeres
CAROLVS, à rerum qui cardine dicitur alto,
Inclytus Aonij libauit flumina fontis.
Sic ait, ambrosiae succo maduere capilli,
Ipsa polos sublimis adit, sedesq; reuisit
Aethereas, vbi laeta sedent obliuia damni.

At Venus interea verbis permulcet amorem,
I puer, Idalij nemoris medicamina tecum
Deporta, pharetramq; humeris atq; indue pennas,
Spicula sume recens tepido fucata veneno,
Atq; feri mentes, duroq; athamante reuince,
Pectore sint vno, quamuis sunt dispare lingua
Carolus Oderades, Pergaeaq; virgo, sed idem
Ardor eis, ortus patria descendit ab vna.
His immitte facem, cupidis & corripe flammis.
Nec mora depromsit bina aurea tela, tetendit
Arcus, corda puer sibi prona tenacius vrget,
Vulnerat ac terebrat: furno non secius ignis
Aestuat, aut spargens incendia Sicelis Aetna.
Iam magis atq; magis Catharina calescit amore,
Ardet amans Dux Carolus, optatosq; Hymenaeos
Appetit, & tædas praeferrit rite iugales.

B Donec

Donec ab excursu rediit Sol virginis astro,
Pleias orta stetit, commisso semine sulcis,
Conueniunt proceres, numerant capita alta viritum,
Imperij de rebus agunt, censusq; perennes
Imposuisse dolet: durum patientia vincit.

Ecce tibi acceptum sese plaudentibus alis
Laetitia exultans effert, resonantq; Camoenae
Et citharae molles: tibi Carole ducitur vxor,
Dux animose, licet primos coniungere somnos,
Et serere obscura Veneris noua gaudia nocte.
Felix illa dies, nox gratior illa duobus.
Hoc Deus instituit sacrum, multum ille rogandus
Est prece sollicita: dat cui vult ipse puellam
Ingenuam, sine labe animi, sine labe pudoris,
Præstantem forma, cum dote & diuite cultu.
Nempe beatus erit, non illum deuius error
Flectet in exitium, succedent omnia fausto
Auspicijs exorta bonis: hilarabit euntem
Vxor, & exceptum complexa fouebit in vlnis
Paruulus in gremio repet genitricis amatae,
Ore patrem referens, ac caram voce parentem.
Sic sobolescentem ditabit ab arce Sionis
Omnipotens genitor, Solymum qui praesidet vrbi,
Et seros festa foecundat pace nepotes.
Vt Paradisiacis qui dæctus oberrat in hortis:
Illic deliciae, vitaeq; immensa voluptas,
Plena, expers damni, nullo mutabilis æuo,

Gaudiaq;

Gaudiaq̄ æternum largo manantia fonte,
Pascitur ambrosia, dulciq̄ è nectare potus
Fronde sub aurata requiescit, amaracus illum
Floribus vda tegit, teneraq̄ amplectitur vmbra,
Non animum curæ, non suscitât ægra libido :
Sic quem casta fouet coniunx, & amabilis adstat,
Totius orbis opes illa mutare negabit
Vir bonus, inq̄ rosa pacata mente sedebit,
Nil tempestates, tepidosq̄ morabitur Austros.
Verus amor demit spinosas pectore curas.

Ergo age ter felix, & nos tibi fausta precamur,
Siue colis sylvas, lepores sedatus & apros :
Siue tuis das iura Quadis, & munere iusto
Fungeris, aut aris priscum defendis honorem,
Non qualis veri cultus ignara vetustas,
Et Suatouiti cultrix Boiema tellus.
Vos Musæ testes : sit fas mihi sacra profari,
Fanda infandaq̄, frugiferum vulgata per orbem,
Quâ se tergeminis vrbs Martia collibus effert
Praga vetus regni sedes subiecta Leoni.

Templum erat excelsum gemmis, auroq̄ corusco,
Stridebant ferro valvæ, tum argentea circum
Effigies, supra stabat quadriformis imago
Vna deum referens : qualis vel forma bifrontis
Ausonij Iani, vel signa tricorporis vmbrae
Geryonis : dextra cornu, læuaq̄ gerabat

Arēum Cydonium, iuxta pendebat acutus
Ensis, sella cyclo, duris frenumq; lupatis.
Non procul hinc sonipes excussis liber habenis
Candidus, implebat volucres hinnitibus auras;
Pabula miscebat purgato farre sacerdos,
Sacrorum & templi custos, hunc solus alebat.
Sæpe sefellit iners & adultera opinio mentem;
Sæpe reduxit enim sudantem mane minister
Alipidem, in gyrum flexum sub nocte profunda.
Sacraq; libabat vino solitaq; placenta.
Hic deus ille deus, cui vestræ cura salutis,
En Suatouitus pro religione sacrisq;
Pugnat, ait, nil est fortuna, nisi impius error.
Post ubi lenæos latices, Bacchiq; liquorem
In cornu dextrum consueto more profudit,
Altera Sole dies quando surgente redibat
Si nihil hinc demtum, tum diues copia vini
Prouentura, bonum signum: sin demta fuisset
Pars aliqua, euentus tristes: sic deniq; fruges
Ore sacerdotis semesa placenta notabat.
Vana superstitio, donec se Carolus oris
Extulit Hesperijs cognomine Magnus, Othoq;
Reliquias sancti Viti transmisit ab vrbe.
Croccus enim fontes, lucosq; colebat opacos:
Hi statuas, alij nymphas, & dæmonis œstrum.
Solennesq; epulas inter ventura canebant,
Siue salutabant animas, manesue ciebant.

At

At nunc religio sese extulit aurea virgo,
Namque salutiferi tinguntur fluminis vnda,
Et didicere deum cultus abolere minorum.

Sed quid ego haud ignota cano, gens barbara more
Exiit, ut vix sit constantior vlla sub Arcto.
Hæc dicenda alijs linquo: tibi gratulor ortus
Principium reuocans, dux o bone Carole, gentis:
Et vestros thalamos, quos prouida fata gubernant.
O decus eximium, quod nos tenuamus in horas
Carmen, successus habeat venientibus annis
Fataque perfidiae non vlla redarguat ætas.

Ede verecundos mecum caua buccina cantus.
Sicut ab Oceani res omnis prouenit vndis:
Sic bona coniugij sunt plurima, vecta per æquor
Concha Erycina ferit Phocas & grandia cete.
Igne suo cælum lustrat, pecudumque hominumque
Exagitat genus omne. quid imis abdita dicam
Visceribus terræque hærentia: in aëre summo
Pendentes volucres: quid adustos flamine diuos:
Eurus & hybernus Boreas vitantur, & Austri,
Non vitatur amor, seu primi Solis ab ortu,
Solis ad occasum sub prona cubilia tendas.
Ver vrsos stimulat, ceruos Orionis ignis,
At calor hic hominem per totum destinat annum.

Ede verecundos mecum caua buccina cantus.
Qualiter exarsit rerum Natura creatrix,
B iij Cum

Cum mundi ex nihilo producta potentia creuit,
Acquirens primos rebus crescentibus actus.
Vtq; opere ipse suo gaudens pater, ore profatur:
Quam bona sunt, quae facta manu sunt omnia nostra.
Oscula libavit nato, super igneus undas
Spiritus inuictus coelestibus incubat auris.
Sic Sponsa in Sponso flagrat, ardescitq; tuendo
Ebria, tota habitans in amato fixa moratur,
Iucundo pascens oculosq; animumq; calore.
Nox tenebris, ac luce dies satiatur olympi,
Non satiatur amor, simul vt tumultetur oportet.

Ede verecundos mecum caua buccina cantus.

Qualis amoenus aquis hortus, vernantibus herbis
Aut geniale solum, Zephyri cum flamine spirant,
Aurarumq; leues animae, leniq; susurro
Alituum caetus resonant, & gaudia mulcent,
Hinc illinc flores, & olentia Punica ramis,
Aurea mala, oleae, viridisq; umbracula Lauri,
Myrtus, & assurgens vitis propagine flexa.
Desuper illacrymans humectat Hamadryas vda
Pallentes violas, Venerisq; & Solis amorem:
Talis purpureus torus, ac commistio vitae
Confortis, genialis amor, nouus vnde resurgit
Gentis honos, descendit auiti sanguinis ordo.

Ede verecundos mecum caua buccina cantus.

Qualis ab Hesperio sale uectra Maria sub Istrum
Carolis, Antæum portusq; reliquit Iberos, *Cesaris*

Cæsaris in gremium deducta, & Teutonibus oras,
Forma præstabat: talis Catharina renidet
Ore hilari, exercet doctas seu Palladis artes,
Moreq; Mæoniæ subtegmina ducit Arachnes
Intexens auro: seu cætu immista Dianæ,
Aut Dryadum choreis, pharetraq; insignis & ostro,
Venatu sylvas & rura paterna fatigat,
Siue Sterenbergæ collustrat mœnia parua
Ludentes inter nymphas, piscosaq; passim
Stagna petit, pisces Cyprinos eximit undis.
Ede verecundos mecum caua buccina cantus.

Vt bonus (ah nimum miseranda morte peremptus)
Rex Ludouicus ouans primæuo flore iuuentæ,
Siue pedes iaculo, seu curru Solis inulto
Vetus equo, lusus spectacula ludicra belli
Edebat, rigidis Vrsis iratus & Vris
Sic pius, at fato meliore, superbit in armis
Carolus, edoculus trabeata Cæsaris aula
Seria, siue ioco mauult tractare duellum
Integritas, rectæq; decet constantia vitæ,
Iusq; piump; colit, castas Heliconis alumnas
Sequitur, punitq; malos, dat præmia iustis
A summa chordæ non dissonat infimus ordo.


Ede verecundos mecum caua buccina cantus,
Est dilecta Cypros Veneri, gratissima Phœbo
Delos, Hymetton amat Pallas: sacra Creta tonanti,
Cyllene

Cyllene Maia genito, Rhodopeq; Gradiuo
Hospita Iuno Samon colit, Ortygiamq; Diana,
Lemnon Vulcanus: sunt & tibi Carole curæ
Arces Stellatæ. Boemia diues aristas,
Lenæumq;, crocumq;, & splendentes amethystos
Educat, aureolosq; arguto in flumine pisces.
Tota velut Nemeo regio est substrata leoni:
Sic animos agiles angusto in pectore versant.
Hæc fato tibi terra quies, & amœna voluptas
Coniugij: Spartam meritò, quam nactus es, orna.
Ede verecundos mecum caua buccina cantus.
Viuite felices ambo florentibus annis,
Viuite concordés ambo, vos sospitet autor
Connubij Deus, & læti socialis: in vnum
Conspirant cœli duo corda fauentibus astris.
Huc ades inuentrix thalami Sapiëntia, tædas
Præfer, & ô resonans Hymen Hymenæe venito.
Nox obscura torum furuis amplectitur alis,
Ferte faces, atro volitant cum sulphure flammæ,
Omnia somnus habet, sopitaq; sidera cœlo
Conniuent, bona verba viro, bona dicite nuptæ.
Vos ô Aonides desistite carmine, Iuno
Has partes subit: en soluit Venus aurea ceston.
Siste verecundos mecum caua buccina cantus.

FINIS.







B.I.G.



Farbkarte #13

LA MION.
PTIIS IL=
NCIPIS AC DO.
DVCIS, MONSTER=
LSENSIS, COMITIS
T DOMINI STE=
Æ: SPONSI,

Kf 129

STRIS, GE=
E INCLYTÆ DO,
INÆ A BERCKA,
a in Sterenberg;
NSÆ,

otum
ORE
IBERO F.
P. L.

XXVIII,
us ex Sion, vt videas
, omnibus diebus
tua,

D, LXX,

